

Heinrich Müller Georg Volckhart

Miscellarum Theologicarum Dodecas

Rostochi[i]: Kilius, 1663

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774784008>

Druck Freier  Zugang



RU Med 1663

Heinrich Müller, Praes/d


Vnt. Georg Volckhart, Resp

Fragm XI — XXII

R U theol. 1663

Heinrich Müller, Praes.

Georg Volckhart, Resp.



I. N. D. N. J. C. A.
MISCELLARUM
THEOLOGICARUM
DODECAS,

Quam

Consentiente Theologorum Colle-
gio in Academia Rostochiensis
SUB PRÆSIDIO

HENRICI MÜLLERI,
SS. Theol. D. Professoris Ordinarii,
& ad Div. Mariæ Pastoris,

Proponet publice

GEORGIUS Volckhart /
Holsatus.

In Auditorio majori d. 17 Junij



ROSTOCHI,
Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. 1663.

R. U. Theol. 1663

I. N. D. N. J. C. A.

MISCELLANEA

THEOLOGICARUM

DODECAS

QUART.

Consociatione Theologorum Col-
legio in Academia Rostochensi

IN ROSTOCHIO



HENRIK MÜLLER

22. Theol. D. Professor Ordinarius

et ad Div. Matris Patronus

Proposuit publice

GEORGIIUS GOLDHART

Hollaeus

In Auditorio majore d. 17 Junij



ROSTOCHI

J. P. JOHANNIS KILLI, Acad. Typogr. Reg.

Quaestio XL

An in declarando *περιχωρήσεως* personalis mysterio recte adhibeatur similitudo candentis & igniti ferri?

§. 1.

D Electata est hac similitudine orthodoxa Antiquitas. Origenes l. II *περὶ δὲ χῶν* c. 6. Si massa aliqua ferri semper in igne sit posita, omnibus suis poris & venis ignem recipit, totaq; efficitur ignis, ita ut neq; cesset ab ea ignis, neque ipse ab ea separetur. Hinc dicimus, massam ferri totam ignem esse factam, quia nihil aliud, nisi ignis in ea cernitur, & si quis contingere atq; tractare massam ferri voluerit, non ferri, sed ignis vim sentiet. Basiliius Orat. in sanct. Nativ. & ex eo Damascenus l. III. E. c. 17. *Τίνα τῶσπι ἐν σαρκὶ ἢ θεότης? ὡς τὸ πῦρ ἐν σιδήρῳ ἔ μεταβατικῶς, ἀλλὰ μεταδοτικῶς. ἔ γὰρ ἐκπέχει τὸ πῦρ πρὸς τὸ σιδηρον, μὴν δ' ἔ χωρῶν, μετα δίδωσι αὐτῷ τῆς οὐκείας δυνάμεως. ὅπτε ἔτε ἐλαττέται τῇ μεταδόσει καὶ ὅλον πληροῖ ἐαυτὸ τὸ μετέχον.* Cyrillus lib. IV. in Job. c. 15. Quemadmodum si quis scintillam ignis in sceno aut palea occultaverit, totum inde ignitum necessario fiet: sic Verbum Dei tanquam scintilla in naturam nostram immissum totam inde inflammavit. conf. de incarnat. unigeniti c. VIII. Athanasius Dial. V. de Trinitate; Christus abscondita tenebrarum illuminat, unus existens ipse, DEUS & homo: sicut ignis in materia lucem prebet iis, qui ad lucem accedunt, non separatus à materia unita, nec consumpta ipsa materia, sicut nec rubus ille ad Mosem. Exod. III.

§. 2. At cavillatur Zanchius de incarnat. Christ. p. 624. quod nos in hac similitudine proram ac puppim causæ nostræ collocemus. Cujus vestigia premit Sadeel lib. de verit. bum. nat. obj. 7. non veritus scribere, nos ex re supernaturali

D

rem

rem prope naturalem facere, & mysterium personalis ^{αἰσθητικῶς} ex rebus physicis facillime intelligi posse æstimare. Cum tamen hoc simili non nisi duo adstruere annicamur: 1. Unionem salvis naturis fieri potuisse in persona Christi non minus quam unitur ignis cum ferro salva utriusq; naturæ proprietate 2. Deitatis propria carnem haud destruentia, non minus communicari carni assumptæ, quam ferro proprietates ignis, uti loquitur D. Pelargus in *Epitome Theol.* l. III. c. 17.

§. 3. Nam sicut ignis & ferrum essentialiter distinctæ diversæq; res sunt, ferrum autem in igne positum non transit in substantiam ignis, nec etiam ab igne prorsus aboletur, sed unum quasi cum igne suppositum fit, dum omnibus suis poris atq; fibris ignem recipit, ut istū & secundum essentiam & essentialia proprietates præsentissime præsentem complectatur, & ignis vicissim tam ab intra quam extra ferrū ita circumplectatur, ut in omnes ferri partes & minutissimas partiū particulas se totum insinuet, & nil nisi merus ignis cernatur, non per aliquam ignis & ferri confusionem, aut proprietatum eorundem effusionem, aut exæquationem essentialium, sed per intimam immeationem & circumplexionem mutuam, quā secundum essentiam suam ignis, tanquam ignitum nobilius, intime ferrum pervasit, suam tum lucendi, tum urendi virtutem ferro communicatam exlerit & exerceret in ferro, cum ferro, per ferrum ignitum, ut ita ferrum reapse luceat, urat, non virtute naturali, nec aliqua peculiari qualitate, quæ sit vel extra substantiam ignis in ferrum egressa, vel in ferro ab igne effecta, hærens in ipso subjective, sed essentiali virtute ignis immeantis ferrum, qui lucet in ferro virtute naturali, ferrum autem ignitum virtute communicata, quam intime propter ^{αἰσθητικῶς} _{σιν} ha-

en habet, una cum igne, quamdiu durat inter hunc & illud unio:

§. 4. Ita duæ realiter & essentialiter diversa naturæ sunt Deitas & Humanitas in persona Christi, quarum hæc in complexum personalem à λόγῳ suscepta, minime vel in substantiam Deitatis conversa vel prorsus abolita periit, sed intime recepit τὸν λόγον per arctissimam immeationem Deitatis in carnem, ut ex illis uno facto ὑφισταμένῳ θεανθρώπῳ tota Deitas totam carnem totaliter undiq; repleat, immeet & circumplectatur, totaq; personaliter tantum in hoc corpore sit, post factam incarnationem, & non extra illud ullo modo, ita communicans & se totam, & omnes proprietates suas essentielles, illi corpori quod ex se suaq; naturali constitutione non sufficiens est ad officium mediationis, ad quod assumptum est exsequendum, ut hæc Deitate participes factum, citra confusionem essentialium & essentialium idiomatum Deitatis in carnem transfusionem, realiter tum in se Deificatum sit, atq; plenum Deitatis, tum ex se radios immeantis Deitatis emittat & operetur non participatione quadam gratiosa, sicut alii fideles, in quibus per adstantiam Deus est, vel gloriosa, sicut in celis electi, sed quia possidet personaliter intima ἀειχώρησιν totam Deitatem ἃ λόγῳ, qui per hanc, & in hac, & cum hac carne sua sibi præsentissime præsentis actu operatur propter mutuam istam immanentiam, ex immeatione Deitatis profectam originaliter.

§. 5. Quamvis vero tam insignis inter has ἀειχώρησιν, deprehenditur convenientia, non exignam tamen disconvenientiam reperire licet, ratione tum subjectorum, tum fundamenti, tum termini, tum modi, de quibus prolixè D. Joh. Behmius *dissert. II de ἀείχ. pers. duar. naturar. in Christo.*

Quaestio XII.

An in Christo duplex detur

ύότης?

§. 1. Factus est Filius hominis dilectissimus filius DEI, ut filios hominum filios DEI faceret, inquit Chrysoftomus homil. X in Job. Nec tamen alius filius est filius DEI, alius filius hominis. Nam Christus JESUS, quamvis sit aliud de Patre, aliud de matre (h. e. alterius & alterius naturæ,) non tamen est alius, ait Hilarius l. IX de Trinit. Si, cum de Christo sermo est, numerantur filii, numerantur quoq; & multiplicantur magistri, Domini, pastores, salvatores & mediatores, cum tamen, asserente scriptura, non nisi unus sit magister Matth. XXIII, 8. unus Dominus I Cor. VIII, 6. Epb. IV, 5. unus pastor. Ezech. XXXIV, 23. unus salvator Esai XLIII, 11. unus mediator. I Tim. II, 5.

§. 2. Ecclesia recte sentiens contra Nestorium, in Christo geminam quidem agnoscit naturam ex duplici generatione, sed personam & ύότητα nonnisi unam. Nasci enim πρώτως & κυρίως est naturæ, ύσάδαυ s. filium esse personæ, unde Christus natus dicitur ex Patris essentia in divinitate, ex matris essentia in humanitate, unus interim idemq; in utraque natura filius permanens, novam quidem ab humana natura in ύνωσεως unitatem assumpta appellationem nactus, sed novus filius haud factus. Humanitas quippe cum sit ενυπόστατ, non ιδιοούσατ, per & in se, neq; personam, neq; proprium & peculiarem filium dare potest, sed uti consors est personæ, ita & filialitatis. λόγ postquam factus est ενσαρκι uti mansit ita etiam dicitur filius DEI à divinitate, sed non tantum secundum divinitatem, sic enim à consortio

ύότητ

ὁδοῦται. sequestraveris humanitatem, dicitur & filius hominis ab humanitate, sed non secundum humanitatem tantum, sic enim nomen filii naturæ aptaveris, non personæ. DEUS est homo *Job. I, 14.* & Filius hominis est filius DEI *Matth. XVI, 14.* Christus quæ DEUS est filius DEI verus & coæternus ex generatione æterna per essentiam; qua homo, non per essentiam, sed ex assumptionis in DEUM prærogativa per unionis gratiam, propter personæ unitatem.

§. 3. Sic credidit & docuit sana Antiquitas. Nazianzenus in Orat. *Si quis duos introduxit filios, unum quidem ex DEO & Patre, secundum autem ex matre, & non unum & eundem, adoptione filiali, quæ promissa est iis qui credunt, exciderit.* Maxentius in libr. de fide; *Duas natiuitates DEI, unam ante secula à Patre secundum divinitatem, alteram vero in novissimis temporibus secundum humanitatem à virgine sancta confitemur, quia non alium matris, alium patris filium credimus, sed unum eundemq; naturalem filium patris, naturalem filium matris agnoscimus.* Augustinus de fide ad Petr. *Pater DEUS de sua natura genuit filium DEUM sibi coequalem & coeternum: idem quoq; unigenitus DEUS secundo natus est: ex patre semel, & ex matre semel: Natus est enim de Patre DEI verbum, natus est de matre verbum caro factum.* Unus ergo DEI filius natus est ante secula, & natus in seculo, & utraq; natiuitas unius est filii DEI, divina scil. & humana. Damascenus l. III de F. O. c. 7. Ὁ μολογῶμεν αὐτὸν ἕνα υἱὸν ἔ θεῶν καὶ μὴ τὴν ἐνανθρώπησιν, καὶ υἱὸν ἀνθρώπου τὸν αὐτὸν, ἕνα χεῖρον, ἕνα Κύριον, τὸν μόνον μονογενῆ υἱὸν καὶ Λόγον ἔ θεῶν.

Quæstio XIII.

An iuramentum à latrone extortum fit obligatorium?

§. 1. Ut eo dexterius resolvamus hanc quæstionem, spectanda sunt in antecessum duo 1 quis juret? 2 quid juret?

D 3

§. 2. Si

§. 2. Si qui jurat i rationis usu non valet, v. g. furiosus, phreneticus & c. non obligatur. Hic enim, quid juret, non intelligit, nec conscientia quid juris in eum, qui scientia, s. discretionis iudicio est destitutus. Si qui jurat, 2 *ὄρκιον* est, nec *sui juris*, non potest sese obstringere in præjudicium tertii, cuius juri subest. Sic liberis non est licitum contractus inire, vel si inierint, servare, etiam si juramentū interpositum fuerit, si quid inde detrimenti senserit parens, quando eius consilium aut consensus non accedit. Quapropter insigniter errant Pontificii, cum docent, obligare liberos promissiones in causis matrimonialibus clam & repugnantibus parentibus factas, cum tamen nemo in alium, etiam si juraverit, possit id juris transferre, quod ipse non habet, nec alterum jure suo, ipso invito, privare.

§. 3. Si quod juratur ires illicita est, nec præstari potest sine peccato, juramentum non obligat. Nam omnis, quam habet jusjurandum, obligandi vis, ex verbo DEI dependet. Quando ergo DEUS juramentum obstringere non vult, re ipsa etiam non obstringit. David juramenti, quod contra verbum DEI juraverat, rescindendi occasionem nactus per Abigailem, plenis buccis in laudes DEI erumpit *ISam. XXV, 22. 23.* Recte Augustinus in *serm. de decoll. Job. juravit David temere, sed non implevit juramentum majore pietate.* Secus fecit Herodes, qui ob id maximopere reprehendendus. Si quod juratur 2 *primum* quidem licitum fuit, postea vero, causis aliis intervenientibus, illicitum evadat, non cogit conscientiam. Quando enim res, quarum causa juramenta suscipiuntur, quoad suam naturam mutantur, & ex licitis fiunt illicita, juramenta à DEO ipso qs. infringuntur. v. g. si quid jurem coactus, quod postea à Magistratu lege prohibetur, quam violare citra peccatum non possum *Rom. XIII, 1. 2.* Si quod juratur

11
ratur, est *impossibile*, nec in jurantis potestate, juramentum non obligat. v. g. si jurem latroni me ei proximi bona donaturum, tunc & ipse pecco, quod juro, & peccatum imprægnarem, si juratum præstarem.

§. 4. His præmissis, dico, si quis sanæ mentis latroni rem licitam & possibilem, juramento interposito promiserit, etiam si id vi metuvè factum sit, ut præstet, quod promiserit, obligatur. v. g. si promiserit certam pecuniæ summam, ad redimendam vitam. Quamvis enim actio latronis sit injusta, tamen iste vitam liberandi modus ex parte jurantis injustus non est, ex cujus parte si justum est præstare juramentum, cur injustum foret præstitum servare? licet videat, cum suo damno illud esse conjunctum, quod juravit. Nam, *qui juravit malum* (quod scil. videt rebus suis obesse,) & *non mutat, habitabit in monte Domini Psal. XV, 4.* Nec obstat, quod vi extorqueatur juratoria promissio, quia non est mera coactio, sed mixta quædam actio, & ratione finis, dum considerat majus bonum ad se rediturum, nempe vitæ incolumitatem, si pretium solvere promittat, libera. Nam eorum, quæ voluntarie fiunt, quædam sunt magis, quædam minus voluntaria. Maxime voluntaria sunt, ad quæ tota propensione & sine hæsitatione ferimur, sic svadente ratione, & appetitu conspirante cum ratione. At sunt quædam, quæ volumus cunctanter & fere inviti, ut cum æger porrigit brachium amputandum, ne gangliæna serpat ulterius. Quæ tamen actiones plus habent voluntarii, quippe quæ fiunt ob bonum. Nam minus malum, per quod pervenitur ad bonum, (speciem boni induit. Quod tamen accipi volumus de eo juramento, quod privatum jurantis damnum habet conjunctum. Nam si Reibp. damnum concurrat, alia res est, ut fuse docent J Cti.

§. 5. In

§. 5. In Dedekenno Tom. II. pag. m. 343. elegans reperias super hac quaestione iudicium, incerti auctoris, quod ita habet; Si quis jurat hosti aut latroni, ut vitam redimat, se datum esse aureos centum, quanguam fecit hoc terrore coactus, tamen tale iuramentum de re licita & quae praestari potest sine peccato servari necesse est. Quia is qui habet jurandi potestatem, & sciens jurat de re licita, necessario debet servare iuramentum, juxta secundum praeceptum Decalogi. Nec valet elusio de violentia, nam revera voluntas in ea promissione libera est, quia eligit minus damnum, scil. jacturam pecuniae, ut retineat vitam. Hae electio postquam facta est, nequaquam vult DEUS perjurio vitam aut pecuniam redimi. Acreste de talibus licitis rebus dicitur, Voluntas coacta est voluntas, scil. quae rem licitam eligit sciens. Tales actiones vocat Aristoteles mixtas, & tamen revera voluntariae sunt. Quod autem in jure civili praetor dicit, quod vi metusve causa factum est, ratum non habeo. Sapienter & juste sancit lex, ne praetor actionem de latroni, quia non debent confirmari latrocinia, sed cum potestas politica nolit judicare de alterius conscientia, relinquit hanc curam tibi ipsi privatim, ne violes iuramentum. Non igitur prohibet promissa facere, tantum hoc ostendit, se nolle confirmare, aut armare, aut judicare latronem. Haec est simplex & non sophistica interpretatio vetusti juris. Diserte autem addidi, has actiones esse iuramenta, si res licita promittatur, & jurans juret sciens, & habeat potestatem jurandi. Nequaquam enim sunt iuramenta, cum jurans jurat se facturum esse rem prohibitam lege DEI, aut impossibilem, aut quae sine peccato fieri non potest. In jure Canonico excogitata est elusio, si quis juravit metu fractus, jubent eum petere absolutionem à Pontifice, & hac absolutione dicunt liberari eum. Sed hic error contumeliosus est contra DEUM, & cumulat peccata. Nulli enim homines possunt solvere vinculum iuramenti, cum promissa res confirmata est vero iuramento, quia hac obligatio fit immediate inter DEUM & hominem

nem Matth. V. jam cum in illo casu de metu, promissio confirmata sit vero juramento, manifestum est, absolutionem Pontificum commentitiam esse. Rursus in casibus, ubi promissio non est revera juramentum, non querenda est absolutio. Non enim ludendum est prae textu absolutionis, ut cum jurat aliquis se facturum esse aliquid a DEO prohibitum, aut cum vivo marito mulier promittit alteri conjugium futurum post mortem mariti, aut cum puer jurabit, qui potestatem jurandi non habet, promissiones reipsa non sunt juramenta, nec conscientiae turbanda sunt, sed docenda, quoniam reipsa sint juramenta.

Quaestio XIV.

Annon Calviniani Deum faciant peccati causam vel authorem?

§. I. Verbis certè id abunde negant. Proferemus vel nubem testium. Calvinus in libr. de aetern. DEI praedest. sub fin. inquit; *Et si rerum omnium causa sit DEI voluntas, peccati tamen eum authorem esse nego.* Petrus Martyr *comm. in Rom. I.* Sciendum est, si proprie & simpliciter dicendum, DEUM non esse peccati causam, quia summe bonus est. Beza *respons. II ad Act. Colloq. Mo. xp. p. 177.* Decepti nonnulli clamitant, DEUM à nobis constitui malorum authorem. Bucanus l. XIV, qv. II, *Sed annon hac ratione mali auctor statuitur DEUS? absit.* Trelocatius in *Loc. de Laps. hom. p. 140.* Nullus est, qui sentiat, vel simpliciter dicat, DEUM esse peccati causam. Molinæus in *Anat. Armini. c. III, §. 4.* DEUS nullatenus est auctor peccati, nec instigator. Et *disp. de Pecc. th. XXXII* DEUS non est auctor peccati. Qui est ipsissima justitia, nibilo plus potest peccare, aut ad peccatum impellere, quam albedo denigrare, aut calor frigefacere. Wendelinus l. I Theol. c. 6. Omnibus, qui blasphemiae istud dogma, vel probant, vel profitentur & defendunt, anathema dicimus, & innocentiae nostrae indicem mundi

judicem, jamjam ad judicium se accingentem, imploramus. Chamier Tom. I lib. III, c. 9. totus in eo est, ut probet, Calvinianos non facere DEUM auctorem peccati. Maccovius in Colleg de provid. DEI disp. VI. An DEUS hoc pacto auctor peccati constitueretur? resp. nequaquam. Synocius Dordracena in judic. general. circ. I artic. §. 15. Hoc est decretum reprobationis, quod DEUM nequitiam peccati auctorem (quod cogitatu blasphemum est,) constituit. conf. Ramburtius disp. de Orig. & caus. peccati.

§. 2. At vero, qua conscientia negent, ipsi videant. Certe, qui docent, DEUM necessitatem peccandi injicere homini, illi DEUM peccati causam faciunt. Atqui Calviniani, &c. E. &c. Major congenita luce radiat. Minori succurro hoc prosyllogismo; Quicumq; docent, DEUM impellere & determinare hominem ad peccandum, itemq; necessaria media ad vitandum peccatum subtrahere immerenti ex nudo & simplici beneplacito, illi docens DEUM necessitare hominem ad peccandum, adeoq; faciunt DEUM causam peccati. Atqui Calviniani &c. E. &c. Licet enim qui impellit & subtrahit, physice sit causa peccati per accidens, moraliter tamen est causa per se, ut ipsi in vituperium imputetur effectus.

§. 3. Excipit 1. Zvvinglius l. Ide Prov. c. 6. Deum non tene-ri lege, ideo ejus respectu peccata non esse peccata, licet inevitabilem peccandi necessitatem hominibus injiciat. Sed peccata non per positivam legem, verum sua natura mala sunt. Et legem DEUS licet non accipiat ab alio, sibi ipsi tamen lex est, nec seipsum negare potest I Tim. II, 3. Natura ejus, quæ in se bona & justa, ipsi legis instar est, quæ mutari haut potest Mal. III, 6. quod ipsum nobiscum asserit Moses Amyraldus dissert. II de jure DEI in creat. & Molinæus in anatom. Armin. c. III, §. 4.

§. 4. Excipiunt. 2. Beza part. II Resp. ad act. Colloq. p. 184. Bucanus l. c. Wendelinus & Chamier ll. cc. peccatum ut defectum

Etum non reduci in causam primam, sed tantum instrumenta, quibus DEUS utitur, scil. in homines, quos malos jam inveniat, non faciat. At, quid ergo fiet de peccato primi hominis, qui non fuit inventus malus, sed ex necessitate decreti & ordinationis divina lapsus est, ut volunt adversarii? Deinde id quoque notandum, vitium reduci non in causam primam, sed secundam, si causa prima sit *universalis*, nec particulari aliqua actione ad malum concurrat, veluti volendo, movendo, impellendo, subtrahendo sine causa gratiam, quod tamen de DEO dicunt adversarii.

§. 5. Excipiunt 3. Bucanus & Wendelinus *ll. cc. & Maccovius in Colleg. de Prov. disp. VI. DEUM necessitatem peccandi injicere non invitis & reluctantibus, sed volentibus, ideo non posse haberi pro causa peccati.* Sed nulla est consequentia. Nam qui peccatorem per se ad peccandum primum movet & impellit ad peccatum, & cooperatur voluntarie peccanti, omnino est causa peccati. *Pf. L, 18.* Præterea docent adversarii, DEUM ab extra impedire electionem, & voluntatem repugnantem determinare, quod violentiæ est, uti constat ex Aristotele *l. I Magn. Moral. c. 16 l. I Rhetor. c. 11.*

§. 6. Excipit 4. Wendelinus *l. c. DEUM ad gratia auxilium homini ferendum nullo modo esse obligatum, ideo & culpam peccati, quod sequitur auxilii negationem, non sustinere.* At licet DEUS ab aliquo externo principio non obligetur ad non subtrahendum auxilium suum immerenti, obligatur tamen ab intrinseca justitia, quæ non admittit, ut alicui infanti subtrahat auxilium, quo vitentur peccata, & postea ea imputet ipsi ut peccata. Ut taceam, obligasse DEUM seipsum datis homini promissionibus, quod nolit quenquam deserere, nisi prius ab illo fuerit desertus.

§. 7. Excipit 5. Calvinus *l. III Inst. c. 23. sect. 9. DEO constare*

stare suam equitatem, cum necessitatem peccandi injicit, nobis incognitam, & ideo illum peccati auctorem non fieri. At, quod per se malum est, nullæ causæ aut circumstantiæ bonum efficere possunt. Nec oportet nos ejusmodi occultas causas comminisci, quæ revelato verbo sint contrariæ, idq; falsum efficiant. In verbo autem ita se revelavit DEUS, quod insonanti quacunq; de causa nolit subtrahere auxilium, nec velit mortem peccatoris.

Quæstio XV.

Cur Christus dicatur *in celo*, è *supernis*, è *celo esse*, vel *Dominus de celo* Job. III, 13. c. VI, 33. c. VIII, 23. I Cor. XV, 47?

§. 1. Valentiniani & Apollinarius, teste Theophylacto, volebant ideo dici, quod de cælo carnem suam secum attulisset, & per Mariæ uterum ceu canalem permeasset, quod est contra Luc. I, 35. & Gal. IV, 4. Ob alias causas hæ phrasæ de Christo usurpantur.

§. 2. Et quidem I. ad divinitatem ejus confirmandam, qua in incarnatione de cælo venit in terrā per *ὀυνονομίαν*, idq; ratione *Φανερώσεως* I Tim. III, 16. I Job. III, 8. Hunc de cælo descensum ipse Christus sæpe nominat *exitum à Patre*, Job. VIII, 42. c. XVII, 8. quo à patre missus est Rom. VIII, 3. Gal. IV, 4.

§. 3. II. Ad cælestem & miraculosam conceptionem & *nativitatem Christi innuendam*. Licet enim, si rem spectes, hæc nativitas & conceptio in terris facta sit, in utero scil. B. Virginis, non tamen est terrena & naturalis quoad modum, sed miraculosa & cælestis. Facta namq; est *rum sine viri συνθεσία, tum sine peccato* Luc. I, 35. Hinc Apostolus incarnationis mysterium nominat *ὁμολογημένως μέγα τῆς Θεοβείας μυστηρίου* I Tim. III, 16.

III, 16. ὑπὲρ πάντων, καὶ ὑπὲρ λόγων, καὶ ὑπὲρ πάντων ἀπέληξεν, ut loquitur Justinus Philosophus & Martyr.

§. 4. III. *Ad habituales humanitatis Christi conditionem significandam.* Quia namq; Christus ut homo supernaturali & celesti modo conceptus & natus est sine peccato, ideo caelestem illam in assumpta natura habuit conditionem, quod a peccato & iis quæ peccatum consequuntur liber fuit, exceptis humanitatis infirmitatibus & passionibus, quas non, *ex naturalis suæ conditionis necessitate*, sed *affectu miserationis* voluntarie in se suscepit, ut in omnibus tentari posset, in quibus nos tentamur, absq; tamen peccato *Hebr. IV, 15.* Hanc infirmitatis susceptionem Paulus vocat *similitudinem carnis peccati Rom. VIII, 3.*

§. 5. IV. *Ad caelestem & vere divinam humanitatis Christi majestatem amplificandam.* Homo namq; Christus ratione suæ humanitatis mediante personali unione vere caelestii in DEUM assumptus, quin imo in DEUM exaltatus est exaltatione mere divina. Habet enim assumpta humana natura divinam, eamq; infinitam personalitatem, in qua revera subsistit, ita ut infinita hæc filii DEI persona nullibi sit nec esse possit sine hac in propriam personalitatem assumpta, sibiq; unita carne. Per hanc in personam filii DEI assumptionem sic exaltata est humanitas, ut in caeleste DEI consortium venerit, & divinæ majestatis, ut *Dominus de caelo*, revera particeps facta sit; ut in humanæ salutis reparatione divinitati *ὁ λόγος συνέγενετο* esse, & cum illa, atq; in illa, imo per illam cælorum jus per lapsum amissum recuperare posset. Hujus Majestatis & acquisiti juris caelestis post visibilem Christi ad cælum adscensionem demum secuta est usurpatio plena & universalis. *conf. Phil. II, 6. & De Behm. disp. X. contr. Erasmus.*



Questio XVI.

An verbum DEI extra usum sit potentia DEI ad salutem. 2

§. 1. Verbum DEI consideratur vel *abstracte & formaliter in se*, vel *concrete & in materiali suo*, ratione *externa scriptio- nis*.

§. 2. *Abstracte* consideratum etiam extra humanum, usum est potentia DEI, Spiritus & vita. Quamdiu enim *Intellectus* inest verbo, tamdiu etiam spiritu, s. spirituali vita est animatum, & est potentia DEI, quæ utut verbo non inest *naturaliter*, sicut vis medendi est in medicamento, vis visiva in oculo, sed *mystice, supernaturaliter & gratiose*, inest tamen *perpetuo, inseparabiliter, necessario*, necessitate divinæ ordina- tionis. Huc referenda sunt Augustini verba *Tract. XXVII, in Job. Intellexisti spiritualiter? spiritus & vita sunt. Intellexisti carna- liter? Etiam sic illa spiritus & vita sunt, sed tibi non sunt*. Si ver- bum extra usum lectionis & prædicationis non est spiritus & vita formaliter, certe nec formaliter est DEI verbum, quod si concedas, quænam erit cordis humani certitudo circa le- ctionem & prædicationem verbi divini?

§. 3. At si verbum *materialiter* consideretur, quoad *externam scripturam*, tunc extra usum lectionis & prædicatio- nis non est potentia, spiritus & vita. Nam potentia divina non est in externa verbi scriptione *subjective & naturaliter*, sed in legitimo demum usu Spiritus S. sese conjungit cum ver- bo externe scripto, illudq; animat. Nec divinus verbi sen- sus in scripto DEI verbo extra usum est *actu*, sed tantum *potentialiter* per modum *representationis & educationis*. Imo nec DEI verbum hoc modo consideratum, quando non legitur
nec

nec prædicatur, est DEI verbum *formaliter*, sed tantum *materialiter*; D. Meisnerus in literis Ann. 1625. ad Prof. Regiom. datis; *Verbum extra usum nihil aliud est, quam merè literæ & apices, prout in libro exarati sunt, & neq; leguntur, neq; intelliguntur, neq; explicantur. Quis autem diceret, has literas & hos apices non lectos nec intellectos, in se & actu secundo habere divinam virtutem convertendi?*

§. 4. Verum *formaliter & abstracte* consideratum verbum DEI semper, etiam extra usum, est potentia, spiritus & vita, quia est *θεῶν ὁ λόγος* II Tim. III, 16. non tantum *ratione efficientis*, sed & *interna perfectionis*, ob divinam efficaciam, quam in se continet. Si separas *θεῶν ὁ λόγος* à verbo, separas formam à formato. Scriptura expresse inquit, quod verbum DEI sit *ὁ λόγος ὁ ἀειγενής* Hebr. IV, 12. I Pet. I, 13. non *in usu* tantum, sed & *in se*, ratione *interna constitutionis*. Argumentor; *Quicquid est de rei forma & constitutione, id in humano demum usu non perficitur, sed est rei perpetuum & necessarium. Vita & efficacia ratione actus primi est de verbi divini ὁ λόγος, considerati forma & constitutione E. &c.*

§. 5. Deinde scriptura comparat verbum DEI *nivi*, pluvia, *imbri* Esai. LV, 11, *semini* Luc. VIII, 5. I Pet. I, 19. *igni* Jer. V, 14. *Pani* Deut. VIII, 3. *Luci*, *lucerna*, *λύχνος* Ps. XIX, 9. CXIX, 105. *Prov.* VI, 23. II Pet. I, 19. At semen etiam extra usum est actu in se vivum, Nivis etiam extra usum vim in se habet humectandi, panis nutriendi. *Dices*; si hæc comparationes valere debent, sequitur etiam verbo DEI virtutem vivificam & salvificam naturalem esse, à forma verbi naturaliter fluentem, ad modum virtutis seminalis, quæ femini naturaliter inest. *Resp.* Nos ex his comparationibus non argumentamur ad *in essendi modum*, sed *in essendi perpetuitatem*, eamq; vi divinæ ordinationis necessariam. Ut enim divina ordinatio, ratione *primi*

ne primi articuli & ita in regno natura semini indidit actum primum naturalem, qui inseparabiliter ipsi inest ex naturæ necessitate; ita eadem divina ordinatio ratione tertii articuli in regno gratie DEI verbo actum primum mysticum divinæ virtutis gratiose & supernaturaliter indidit, qui verbo semper inest & necessario ex necessitate divinæ ordinationis, etiam ante usum humanum.

§. 6. Præterea, si divina efficacia verbo demum in usu forinsecus supervenit, instar separabilis accidentis, sequitur i verbum DEI passivis instrumentis annumerandum, ceu quibus virtus causæ principalis non unitur, nec communicatur intrinsece, sed tantum *ὀφθαλμῶς*, quâ opinione nil absurdus, nil in divini verbi majestati injuriosius. 2 verbum DEI extra usum esse mortuum, utpote destitutum ratione actus primi animatione Spiritus Sancti, quo iterum nil absurdus. Non desunt quidem, etiam inter Orthodoxos, qui verbum absq; virtute Spir. S. vocant literam mortuam, sed ii de externo, eoq; materiali verbi sono loquuntur, non de ipso DEI verbo absolute & in se, præcisa externi soni consideratione.

§. 7. Dices 1. Natura & DEUS nihil faciunt frustra. At verbo extra legitimum usum frustra est alligata divina virtus. *Resp.* distinguendum inter *usum verbi ex parte DEI*, ratione divinæ ordinationis vel intentionis; & *ex parte hominum*, verbo actu secundo utentium. DEUS vi gratiosæ suæ ordinationis uti semper utitur, vel ratione antecedentis voluntatis, uti paratus est hoc divino medio ad hominum conversionem; ita illi divinam vim intrinsece indidit ad hunc finem, si vel maxime homines actu secundo eo non utantur.

§. 8. Dices 2. Rei creatæ extra usum legitimum divinitus ordinatum divinam virtutem alligare, idololatricum est.

est. *Resp.* 1. Formale verbi, s. divinus verbi sensus, hominibus mediantibus externis adminiculis patefactus, proprie non est creatus, sed à DEO hominibus communicatus. 2. Nullatenus vero divina verbi virtus, intrinsece ipsi communicata, res creata nominari potest. 3. Externus sonus à DEO *δικονομικῶς* formatus est, & hoc respectu creatus, At huic extra divinam verbi ad usum ordinationem nullam virtutem divinam alligamus.

§. 9. *Dices* 3. Si verbum DEI extra legitimum usum virtutem divinam habet insitam, sequitur, etiam esse vivificum, quando venefici ad incantationes suas illud adhibent. *Resp.* Legitimus usus vel intelligitur ex parte DEI, vi suæ ordinationis, vel ex hominum parte DEI verbo legitime secundum divinam ordinationem utentium. Illo modo ipsi negamus, extra DEI ordinationem divinam vim verbo esse insitam. Hæc enim gratiosa DEI ordinatio uti verbo dat esse, ita & animationem. Cum ergo venefici non legitime, sed illegitime DEI verbo contra DEI ordinationem abutantur, tractant quidem verbum in se vivificum, verum ordinate tale, cujus virtus vivifica non pendet ab absoluta quadam necessitate, sed libera DEI ordinatione. Latius hæc proponit & diducit b. m. D. Joh. Behm. in *disp. contra Rathmannum & complices.*

Quæstio XVII.

Quo sensu Pontificii peccatum originis definiant, quod sit *carentia justitiæ originalis?*

§. 1. Scholastici pleriq; peccatum originale definiunt, *carentiam justitiæ originalis debitæ inesse*: Sic Thomas I, 2. F *quæst.*

quæst. 82. & Cajetanus in notis ad b. 1. Quam carentiam negant esse meram privationem justitiæ, voluntq; insuper esse habitum justitiæ contrarium, uti non obscure innuit Bellarminus l. 1. de amiss. grat. & stat. pec. c. 17. Sed latet anguis in herba, & occultum premunt sub pectore virus. Nam per justitiam originalem peccato amissam intelligunt gratiam supernaturalem, qua demta homo sit sibi relictus, & ad eum statum redactus, in quo erat ante lapsum in puris naturalibus. Unde fit, ut peccatum originale nihil aliud sit, quam ipsa natura & DEI opus: & fingitur DEUS indidisse homini ante lapsum appetitus pravos & rebelles, qui demto rectore supernaturali, sibi relictis, causa sint depravationis, quæ inest nascentibus. Idq; mordicus tenent, lapsu hominis nullam novam qualitatem esse contractam.

§. 2. Quam sententiam ut suffulciat Bellarminus, l. c. e. 1. hunc in modum ratiocinatur 1. Si peccatum originis est qualitas positiva, quamnam causa positiva eam produxit? Resp. Homo peccando seipsum corrumpit, & qualitatem illam pravam contrahit, quemadmodum cum quis se obtorquendo, re-titudinem amittit & pravitatem contrahit. 2. Si peccatum originale est qualitas positiva, non potest transmitti in posteros, quia habitus acquisiti non transmittuntur in prolem. Resp. Habitus acquisitos ad prolem sæpe traduci quotidiana experientia abunde docet. Si quis pertinaci dolore atram bilem contrahit, inde liberorum temperamentum solet infici; & hominis, cujus mores consuetudo mala efferavit, proles plerumq; fera est ac intractabilis; tum pica s. malacia, quæ prægnantes vexat, embryoni imprimit notas indelebiles. 3. Si peccatum originale est qualitas positiva, DEUS fiet author peccati, ut qui creditur author omnis entis positivi. Resp. DEUS author est omnis entis positivi naturalis, at non moralis. Quis neget

neget superbiam esse ens positivum, (vel potio, aliquid entis) cum efficax sit in homine & agat, privationibus non agentibus? at quis DEUM asserat superbix authorem? 4. *Nulla qualitas, si est contra naturam, diu durat. At peccatum & contra naturam hominis est, & tanto tempore non est imminutum.* Resp. Quod in doctrina physica valet axioma, male traducitur ad doctrinam morum & salutis. Imò ne in physicis quidem id semper verum est. Esse strabonem aut varum est contra naturam, quod tamen nec ab arte, nec à natura potest emendari. Sed nec peccatum est contra naturam animæ, ut illa est forma hominis, (alias peccando Adam desisset esse homo) verum contra naturam officii, aut virtutum, quæ ex mandato homini inesse debuerant. 5. *Si peccatum originale est qualitas, non tollitur baptismo.* Resp. intellige, radicaliter, & sic concedimus. Reatus quidem peccati deletur in baptismo per meritum Christi ex gratia imputatum, ipsa vero labe remanet quoad inharentiam. Conferatur Augustinus l. I de Nupt. & Concup. c. 25. l. V in Julian. c. 3. & l. 4. Hypognoztikon.

Quæstio XVIII.

Quid per formam DEI intelligat Apostolus Phil. II, 6.?

§. 1. Patres fere omnes intelligi volunt *formam essentialem*, s. ipsam DEI essentiam & naturam. Basilius l. I cont. apolog. Eunomii inquit; *Ego informa DEI esse idem valere sentio, atq; in essentia DEI esse.* Sicut enim formam assumpsisse servi in essentia humane nature Dominum nostrum natum esse significat, sic cum dicit Paulus, *informa DEI esse*, divina essentia proprietatem penitus declarat. Hilarius Pictaviensis l. X de Trin. *Ue assumpsisse formam servi nihil aliud est, quam hominem natum esse. ita in forma*

DEI esse non aliud est, quam DEUM esse. Sic Leo Epistola ad Flavianum in Synodo Chalcedonenſi approbata; *Utraque forma, i. e. natura agit in Christo quod suum est, cum communicatione alterius.* Conferantur Chrysostomus, Theophylactus & Oecumenius in *b. l.* Augustinus *Tract. XVII, in Job. & l. de fide ad Peritum Diaconum c. II.* Hinc Damascenus regulam colligit *Isagoges c. I.* Ὁμοία ἔχουσα τὴν φύσιν θεῶν καὶ μὴ φύσιν καὶ τὰς ἀγίας πατέρας ταυτὸν ὄντι.

§. 2. Citatur etiam pro hac sententia Ambrosius, sed frustra, quippe qui per formam DEI intelligit *proprieta-tem operationibus ad extra sese manifestantem*, qua ratione essentia quidem non excluditur realiter, cum proprietates divinae non differant realiter nec inter se, nec ab essentia, non tamen significatur *formaliter ipsa essentia.* Certe Ambrosius (aliis, Hilarius, Diaconus Romanus) *Tom. IV oper. in comm. super b. l.* satis clare suam sententiam explicat his verbis; *Forma quid est, nisi exemplum, quod DEUS apparet, dum mortuos excitat, surdis reddit auditum, leproſos mundat.* Et *Tom. III Epist. XLVII. ad Iranicum;* *Quid est in DEI forma? nisi in plenitudine divinitatis, in illa perfectionis divinae expressione.* Ergo cum esset in plenitudine divinitatis, exinanivit se & accepit plenitudinem & perfectionem humanam. Per plenitudinem Deitatis non intelligit Deitatem praecise, sed attributa *ἐν ἐργασίᾳ*, per qua DEUS se exprimit, quandoquidem *expressionis* claram facit mentionem.

§. 3. Ambrosii sententiam fovet ex Pontificiis Erasmus in *comm. b. l.* & Ambrosius Catharinus, cujus verba haec sunt; *Forma DEI & forma servi non accipiuntur secundum eam partem, qua DEUS; sed secundum humanitatem assumptam, qua modo DEI, modo servi formam exprimit.* In DEI forma dicitur nunc esse Christus, quia vestem humanitatis, quam induit, habet nunc, sicut decet, gloriosam, sicut ipsum discipuli viderunt in monte,
 & Jo

& Johannes dicit, *vidimus gloriam ejus: in forma autem servi fuit,*
cum assumpsit carnem mortalem, expositam quibusvis vita necessitati-
bus &c. Ex Calvinianis hanc sententiam amplectitur Johan-
 nes Piscator Herborenensis, in *b. l.* qui pro secitat glossam
 Genuensium ad *Esa. LII, 14.* & Wolfgangum Musculum, tum
 hæc Calvini verba; *Paulus non docuit, quid fuerit Christus, sed*
qualiter se gesserit. Suam quoq; facit eam Lutherus in *Postill.*
Eccles. Dom. Palm. inquit; Diese Worte / göttliche Gestalt
 werden nicht einerley weise gehandelt. Eiltche meinen / Paulus
 wolle dadurch verstehen daß göttliche Wesen in Christo / also das
 Christus sey warer GOTT gewest / und habe sich doch herunter
 gelassen. Wiewol nun daß wahr ist / das Christus wahrer GOTT
 ist / so redet doch St. Paulus hie nicht von seinem heimlichen götli-
 chen Wesen / u. s. w. Gestalt Gottes heisset daher / das sich einer
 stelle als ein GOTT / und auch also geberdet / oder sich der GOTT-
 heit annimmt und unterwindet / welches geschicht nicht heimlich bey
 sich allein / sondern gegen andere / die derselbigen Geberde oder
 Gestalt gewahr werden. Darumb kânt man es nicht deutlicher
 reden / den auff die weise / der gebärdet göttlich / oder stellet
 sich als ein GOTT / wann er sich beweiset / und also redet und thut /
 das GOTT zugehöret oder wohl anstehet.

S. 4. Certum est *I formam DEI* non significare *essen-*
tiam divinam in abstracto, quia hæc vocis $\mu\omicron\sigma\phi\eta\varsigma$ significatio in
 scriptura N. T. est insolens. Ubi cunq; reperitur, notat *pro-*
prietatem rei vel veram *Matt. XVII, 2. Marc. IX, 2. c. XVI, 12. Rom.*
VIII, 29. Gal. IV, 19. Phil. III, 10. vel apparentem, Rom. II, 20. II Tim.
III, 5. Deinde *formæ DEI* opponitur *forma servi.* Quod autem
 per *formam servi* non possit intelligi natura humana, proba-
 tur i quia Christus non *natura* servus fuit, sed *libertate volunta-*
tis, ut inquit Lutherus *l. c. 2.* per quod status exinanitionis à

statu exaltationis distinguitur, id in exaltatione includi non potest. Sed per formam servi &c. Natura autem humana in utroq; statu locum habet. 3. forma servilis per exaltationem sublata est, humana natura sublata non est. Certè post exaltationem Christus nunquam dicitur servus. Dices; *Es. LIII*, Christus dicitur servus, ubi connotatur natura humana. *Resp.* Servus & forma servilis differunt ut abstractum & concretum. Concretum implicare subjectum verum est, abstractum autem nequaquam. Non licet ergo à concreto ad abstractum argumentari.

§. 5. Certum quoq; est II *formam DEI* non significare *DEUM in concreto* 1 quia expresse distinguit Paulus inter *formam DEI* & eum, qui est *in forma DEI*. 2. *DEUS* à carne nunquam abfuit, at forma *DEI* suo modo deposita fuit 3. Forma *DEI* non potest dici sumsisse formam servi, quod de *DEO* dici potest.

§. 6. Certum nobis est III vocem $\mu\omicron\sigma\phi\eta\varsigma$ hic significare proprietatem divinam, & quidem operosam ac gloriose ad extra sese exerentem, in quantum natura humana communicata est. Nam quod Philippensibus proponitur ut imitabile, necesse est, ut in sensu incurrerit ac potuerit percipi. Dices 1. Forma *DEI* ab essentia *DEI* separari non potest, Ergo est ipsa essentia. *Resp.* Nec omnipotentia *DEI* separari potest ab essentia, quam tamen formaliter non significat. 2. Si recte dico, Est in forma *DEI*, Ergo est *DEUS*, sequitur formam *DEI* esse ipsam Deitatem. *Resp.* Qui per naturam est in forma *DEI*, est *DEUS naturaliter*, Qui per communicationem, est *DEUS personaliter*. 3. Ergo Deitati accessit forma accidentaliter. *Resp.* Ex parte rei nihil accessit, quia hic mera est identitas. Ex parte conceptus absurdum non est, proprietatem concipi, non concepta essentia, ut ipsi aliquid (scil. ex parte conceptus) superveniens.

perveniens. Quia enim distinctio rationis in DEO poni potest, nihil impedit, quo minus etiam compositio rationis in eo ponatur, cujus tamen fundamentum sit in re. 4. Nemo potest dici DEO æqualis respectu formæ accidentalis. *Resp.* intellige, in accidente creato, potest tamen respectu proprietatis divine, quam habet vel per se, quomodo æqualitas est & in re habita & in modo habendi; vel per communicationem, quomodo æqualitas est in re habita tantum.

§. 7. Hæc tamen Majestas DEI *ἰεραρχικὴ*, per formam DEI denotata, non intelligenda est absolute, prout omnibus tribus personis Deitatis communis est, sed restricta ad secundam personam; & quidem non qua divinæ naturæ competit per essentiam, sed humanæ per communicationem. Hæc tantum ratione formæ divinæ certo respectu exinanitionem subire potuit, in quantum universali ipsius usurpatione fuit ad tempus privata.

§. 8. At, inq̄is; favet hæc sententia Neo-Arrianis, s. potius Photinianis nostris, qui nullo pacto æternam servatoris nostri Deitatem ex hoc loco probari posse contendunt. Videantur Faustus Socinus contra Vujekum *resp. ad cap. VIII clas. 3. arg. 10*. Christophorus Ostorodus *Inst. Germ. c. XIX*. Joh. Volkelius de vera relig. l. V, c. 10. Jonas Schlichtingius *disp. de Trinit. adv. Meisne. p. 155*. Certe, neutiquam favet. Etsi enim directe hic locus non agat de Deitate Servatoris nostri, potest tamen ea per bonam firmamq̄; consequentiam ex eo elici. Nam, Quicumq̄; est in forma DEI is est DEUS, si ipsi forma DEI competit per essentiam; vel DEO unitus, si competit per communicationem. Sicut enim ex actionibus vitalibus, quæ animæ propriæ sunt, communicatis corpori, recte infero, corpus animæ esse unitum per *συνύστασις* ad unum *ἕνωσις* *μενον*; sic ex communicata forma DEI, quæ est proprie-

proprietas DEI *ἑνός*, recte infero, humanam naturam cum divina unitam ad unum *ὁφισόμενον*. Dices; Etiam sanctis communicavit DEUS gloriam suam. Resp. finitam, non infinitam, Conf. D. Myslenta l. c.

Quaestio XIX.

An ISam. XXVIII, verus Samuel appa- ruerit Sauli, an Diabolus Samuelem mentitus?

§. 1. Saul animi anxius de periculo belli cum Philistæis gerendi, abiit ad Pythonissam, atq; per eam curavit evocari Samuelem, ut ex illius ore de eventu belli certior fieret. Fuisse eum verum Samuelem pernegamus, quia impium est cogitare, in Diaboli potestate esse ut subjiciantur incantationibus pythonicis spiritus sanctorum, postquam ex hac vita migraverunt. Fuit impurus spiritus, *Samuel* dictus, quia speciem ejus præ se ferebat, quandoquidem Scripturæ haud insolens est, imagines rerum nominibus ipsarum appellare, ut *serpens aneus* & infinita alia testantur. *Autor Ecclesiastici* tamen deceptus specie verborum existimavit eum esse non Satanam induentem speciem Samuelis, sed ipsum Samuelem, quemadmodum manifestum est ex *ultimo ipsius capite*, XLIIIX.

§. 2. Bellarminus l. IV de V. D. c. XI, cont. 2. & l. II, c. VI, cont. 6. suscipit authoris hujus patrocinium, ne quid de auctoritate libri canonica, quæ magnū Purgatorii firmamentum est, decedat. *Non fuisse*, inquit, *larvam* (s. *umbram à pythouissa evocatam*, sed *Samuelem venisse jussu DEI*, & *prævenisse adventu suo effectum incantationis*, ob eamq; causam *per turbatam fuisse pythouissam*. Probationis loco addit; *Si verum est, quod*
Rabbini

Rabbini scribunt, umbra mortuorum, quæ vi magica artis evocantur, capite deorsum verso adscendunt. Samuel autem recta figura adscendit, ita ut primò caput, deinde pectus, postremo pedes è terra emergere visi sint. Sed nihil probat Bellarminus. Nam quod attinet i perturbationem mulieris, illius causa in textu exprimitur, quod ea intellexerit fuisse Saulem, cujus jussu omnes pythoniæ & Magi è terra erant excindendi. Unde quia mortem sibi metuebat, ideo perturbata est. 2. modum apparitionis, crimen falsi committere Bellarminum in provocatione ad auctoritatem Rabbiorum abunde & ad nauseam fere demonstrat Joh. Rainoldus *Prælect. LXXVI & LXXVII de libri Apocr.* At dixerint Rabbini, illorum auctoritas apud nos tanti haud est valoris, ut pro vero falsum amplectamur. Neq; illa *νεοθρησκεία* opus est, qua Bellarminus utitur, si verum est, quod Rabbini scribunt, cum sciamus non modo verum non esse, sed falsum etiam & futile.

§. 3. Ex eo, quod Samuel hic dicitur *adscendisse è terra*, Bellarminus infert, esse locum subterraneum, in quo continentur animæ justorum, *Limbus* scil. *Patrum*, supremam ipsius inferni partem. Nos contra dicimus, Samuelis animam adscendisse in celum, & ob eam causam illam umbram, quæ apparuit, fuisse dæmonem. Sanctorum animas in celum evolare, cum è corpore emigrant, satis clare docetur *Luc. XVI*, ubi dicitur Lazari anima asportata ab Angelis in *sinum Abrahæ*. Quibus verbis describitur status fidelium in Domino morientium post emigrationem ex hac vita, Metaphora desumpta à re, quæ nobis in hac vita omnium jucundissima est, nempe convivio. Veteres n. lectis accumbentes epulabantur, juxta illud Horatii; *Sape tribus lectis videas cœnare quaternos*, Ita vero in lectis accumbebant, ut qui primus accumberet, reclinata superiori parte corporis in sinistram cubitum ad caput lecti

G

reside-

resideret, capite leviter erecto, & pulvillis suffulto, ut pedes suos porrigeret pone tergum secundi, qui v. secundo accumbat, is obvertebat occiput suū ad sinum & umbilicum primi, quomodo tertius in sinū secundi, & sic deinceps. Ita legimus, unū è discipulis accubuisse in sinu Christi. *Job. XVI.* Hinc petita est Metaphora *sinus Abrahæ*, juxta verba Christi *Matt. VIII, 11.* *Multi ab oriente & occidente venient, & accumbent cum Abraham, Isaac & Jacob in regno celorum*, hoc est, ita chari futuri sunt Abrahamo, omnium fidelium patri, ut omnes quasi proximi ei & in sinu accubitura sint. Notatur ergo hac descriptione quies & gloria Sanctorum in cœlo. Objicit Bellarminus; *Dives in inferno cum esset, vidit à longe animam Lazari in sinu Abrahæ, & audivit inter locum ipsorum magnum hiatus esse. Ex quo apparet, nihil solidi fuisse interjectum inter locum damnatorum & sinum Abrahæ: sed utraq; animas in eadem voragine fuisse, licet multum inter se distantes.* Resp. Corn. Jansenii, scriptoris Pontificii c. *XCVI de Concord. Evang.* verbis; *Est Metaphora in verbis Christi desumpta ab isto hiatu, quoniam quemadmodum in cæsastico terra motu impervius est transitus ab una parte in alteram, propter magnam illam voraginem interjectam; similiter firmissimo DEI decreto tanquam hiatu disclusus est beatorum status à statu damnatorum, ut ab uno ad alterum transire nemo possit.*

§. 4. Tertullianus, Augustinus, Procopius, Isidorus & alii ex priscis patribus his quoq; rationibus demonstrare volunt, larvam à pythoniſſa evocatam non fuisse verum, sed personatum Samuelem, 1. quia verus Samuel haud fuisset passurus, ut à Saule adoraretur; quia Samuel filius DEI non fuisset dicturus Sauli; *Tu cum filiis tuis eras mecum eris*, quandoquidem Saulis anima ad gehennam descensura erat. 3. quia non est verosimile, cum DEUS negaret Sauli responsum per Prophetas vivos, respondisse per mortuum.

Quas

Quas rationes Bellarminus *nihil concludere* ait. Et quidem ad 1. regerit, Saulem exhibuisse non λαογείαν, sed reverentiam debitam animæ Samuelis. Sed nec verosimile est, Samuellem passurum veleam adorationem, quæ homini dabatur, quoniam Prophetæ adorabant reges potius, quam patiebantur se abs Regibus adorari, uti constat exemplo Nathanis, qui accedens ad Regem incurvabat se ei facie suâ versus terram demissa. Ad 2. reponit, verborum illorum; *cras tu & filii tui mecum eritis*, sensum non esse hunc; eritis mecum in sinu Abrahæ, sed mortui eritis. Nam cum inter filios Saulis esset etiam Jonathan justus, non descensuri erant ad eundem locum Saul & Jonathan, cum tamen Samuel dicat in genere; *mecum eritis*. De quo non adeo controversabimur. Verosimile est, iis verbis significari *non equalitatem felicitatis, sed conditionem mortalitatis*, ut loquitur Augustinus ad Simplicianum *lib. I, quest. 3*. Ad 3. regerit Bellarminus; DEUM se iratum Sauli ostendere voluisse, idq; fecisse tam non respondendo, quando interrogabatur, quam respondendo, quando non interrogabatur; utrumque enim esse signum iræ. Sed confundit Bellarminus quæstionem de re & de tempore. Patres illi simpliciter negant, DEUM respondisse Sauli per Prophetam mortuum, quia antea noluit respondere per vivum, quæ ratio confirmatur verbis Abrahami *Luc. XVI. Habent Mosem & Prophetas, ipsos audiant, si eos non audiunt, neque si quis resurrexerit è mortuis, credent ei*.

§. 5. Opponit Bellarminus *l. c. auctoritatem Antiquitatis*, statuentis larvam hanc fuisse veram animam Samuelis, Josephi *VI. Antiq. c. 15*. Justini in *Dialog. cum Tryph.* Basilii *Epist. LXXX. ad Eustatium*. Hieronymi in *Esa. VII*. Augustini *de cura pro mort. c. XV*. At nos auctoritatem auctoritati obtendimus. Non fuisse Samuellem, sed spectrum diabolicum Samuelis

muelis specie, affirmant Tertullianus *lib. de anim.* Autor quaestionum apud Justinum, *quest. LII.* Author Quaestionum Veter. Testam. apud Augustinum, *quest. XXVII.* Procopius in *b. l. Sam.* Isidorus *l. VIII. Etymol. c. 9.* Si res hominum auctoritate decidenda, certe *inter utrumque volat variis victoria penis.* At, inquit Bellarminus, *authores à nobis citati sunt obscuri & incerti.* Quam verò obscurus & incertus sit Tertullianus, docet Hieronymus in *Catalog. Script. Eccles.* inquiens: *Cyprianus Vir sanctissimus & doctissimus tantopere delectabatur lectione Tertulliani, ut nullum diem pratermitteret, quin aliquid in eo lectitaret: imo cum Notarium suum affaretur, & verba faceret de Tertulliano, notare eum soletet nomine Magistri, da, inquiens, Magistrum i. e. Tertullianum.* Vincentius Lerinensis *lib. contr. prof. bares. Novat. c. XXIV.* eum prædicat *Latinorum omnium facile principem.* Authoris Quaestionum apud Justinum styllum non absimilem Theodoretum in Octoteuchum ait Sixtus Senensis *l. IV. Bibliot.* Procopium Commentarios suos ex commentariis Orthodoxorum Patrum antiquissimorum confecisse author est idem Sixtus *l. c.* At si penitius consideremus verba authorum, quos Bellarminus pro confirmanda sua sententia allegavit, magis pugnare hos authores cum Bellarmino, quàm defendere Bellarminum, docebimur. Josephus *l. c.* ait, fœminas pythonissas & ventiloquas evocare animas mortuorum ab inferis, quod negat Bellarminus, docens, Pythonissam non evocasse vi artis magicæ animam Samuelis, sed Samuelem venisse DEI jussu. Justinus *l. c.* non tantum affirmat Samuelem excitatum à Pythonissa vi artis magicæ, sed &, animas piorum Patrum ante adscensionem fuisse in potestate Diaboli, quod expressè Scripturæ sacræ contravenit. Basilium in contraria fuisse sententia probari potest ex ipsius *comment. in Esa. VIII.* ubi, *Dæmones,* inquit, *vaticinari sæpe*
& an-

Et annunciare que sententia Et decreto DEI constituta erant Et palam
ebulgata. Sicuti pythonicus ille Spiritus, quem consuluit Saul per divi-
natrixem, futuram stragem annunciavit ministerio Demonum. Hie-
ronymus l. c. inquit, Pythonissam illam sic visam esse susci-
tasse Samuelem, non revera suscitasse, sed visam esse susci-
tasse. Et in *Matth. VI.* disertè ait, Samuelem in phantasmate
apparuisse. Augustinus in loco à Bellarmino citato dubi-
tante loquitur, l. II. vero ad *Simplic. quest. 3.* Phantasma Samu-
elis apparuisse docet. Plura vide apud Rainoldum l. c.

§. 6. Opponit Bellarminus II. quod in Scriptura larva vo-
catur Samuel. At appellatur Samuel, non quod fuit verus Sa-
muel, sed quod mentitus fuit speciem Samuelis, sicut Angeli
vocantur viri *Gen. XVIII.* quod in specie virorum apparebant.

§. 7. Opponit Bellarminus III. quod dicitur in loco præf.
Saulem intellexisse larvam illam fuisse Samuelem. Resp. Verbum
intelligendi hic accipitur non ex veritate, sed ex opinione, orta ex
relatione mulieris de corpore & vestitu Samuelis assumpto.
Quoniam Samuel erat Vir senex, & amiciri solebat pallio.
Nec tamen verum corpus & pallium Samuelis hic apparuit,
sed tantum species corporis & species pallii.

§. 8. Opponit Bellarminus IV. *Samuel hic prædixit Sauli
interitum suum & liberorum, cladem exercitus, regnum Davidis.
At Demon non potest futuri quicquam prædicere, quia quid futurum,
non novit.* Quasi verò futura temper prædicantur ex scientiæ
certitudine, & non sæpius ex conjecturæ sagacitate. Deinde,
DEUS quidem solus potest ex sese scire futura, sed ex DEI
revelatione possunt etiam homines, possunt etiam damo-
nes, quippe quorum DEUS sæpe utitur ministerio, & ad pun-
niendos malos, & ad probandos bonos. Quod Davidem
regnaturum dixit personatus Samuel, hoc scire potuit ex
Prophetis, qui id prædixerant: Exercitum esse, profligan-



dum ex conjectura etiam augurari potuit, utpote qui & Saulem videbat animo fractum, & exercitum Philistarum Israelitarum exercitu tam audacia quam robore prævalere. Nec ignorare potuit, tempore futuro aliquando Saulem cum filiis moriturum. *Cras* enim hinc significat non diem proximè secuturum, sed tempus posterum, quomodo etiam usurpatur *Exod. XIII, 14. Deut. VI, 20. Jos. IV, 6, 21.* Unde rectè notant Junius & Tremellius; *Cras*, id est, *in posterum*. Quod patet tum ex collatione vocis *hodiè* v. 18. cum *cras* v. 19. quæ per antithesin opponuntur. Ut ergò vox hodiè notat totum tempus periculi ingruentis, ita *cras* consecuturum malum: tum ex illis quæ dicuntur gesta à discessu Saulis à facie Pythonissæ. Ipse redit ad castra Israelitarum. Philistarum castra loco moventur c. XIX. idq; non una vice, quæ uno die fieri non potuerunt. Conf. *Matth. VI, 30.*

Quæstio XX.

An & quomodo fiducia hominis Christiani possit esse certa?

§. 1. *Fiducia* hominis Christiani est gratiæ divinæ in Christo promissæ firma apprehensio.

§. 2. *Extrema* ejus sunt *Præsumptio* conjuncta cum securitate carnis, & *Dubitatio*.

§. 3. *Præsumptio* est inanis persuasio, verbo DEI destituta. *Carnis* autem *securitas* est vacuitas timoris filialis, quæ concupiscentiis carnalibus fibulam laxat.

§. 4. *Dubitatio* est formido deceptionis, ne in hac vel illa parte quis decipiatur, & opponitur *certitudini assensivæ*. Est etiam *dubitatio* quædam in voluntate, nempe *trepidatio* ex conscientia peccati & metu judicii divini, conjuncta cum

55
cum fuga & odio DEI. Et hæc opponitur *certitudini fiduciali*.
Quemadmodum enim *fides* vel est *in mente*, prout est assen-
sus rei notæ præbitus, vel *in corde*, prout est fiducia; sic dubi-
tatio vel est *hesitatio mentis*, vel *fluctuatio cordis*.

§. 5. Bellarminus l. III. de Just. c. II. non vult esse imme-
diatam oppositionem inter fiduciam & dubitationem, sed
dari medium quoddam, nempe *certitudinem moralem* & spem
ex parte voluntatis. At medium hoc est fictitium, & certu-
tudo illa moralis, quam inter mediam facit, est ipsum extre-
mum, in defectu pugnans cum fiducia, nihil aliud quam
pura pura dubitatio.

§. 6. Cæterum accuratè distingvenda est *dubitatio à fi-
de infirma* cum dubitatione conflictante. Fides enim infir-
ma non cessat manere vera fides, quamdiu non aberrat ab
objecto vero. Homo æger verus homo est, & *fides ægra*, ut
eam vocat Cyrillus l. II. in Johann. c. 22. vera fides est.

§. 7. Porro *certitudo fidei salvifica* debet esse *individua-
lis*, ita ut quilibet homo sibi ipsi in specie promissiones divi-
nas applicet & ad se pertinere credat. Non sufficit credere,
Christum esse Salvatorem, sed requiritur in super ut credam,
esse meum Salvatorem, propter me conceptum, natum, pas-
sum, crucifixum, mortuum, sepultum.

§. 8. Hoc probè norandum est contra Bellarminum,
qui docet gratiæ & justificationis certitudinem tantum esse
conjecturalem & opinabilem, ac neminem sine speciali revelati-
one debere aut posse esse certum certitudine *fidei divina*, sibi
gratiam à DEO factam & peccata remissa.

§. 9. Ut lucem huic doctrinæ fœneremus notamus,
aliam esse certitudinem *de gratia DEI* ac salute, aliam *de fide*,
& iterum aliam de fide *presenti*, aliam de *futura*.

§. 10. *Certitudo de gratia DEI & salute in statu presenti* est,
qua

qua aliquis, qui credit in Christum, quatenus credit, certus est, quod stet in gratia DEI, & vita fruatur spirituali, adeo ut nullis fraudibus vel viribus Satanæ ex manibus Christi eripi possit. Hæc certitudo habetur ex promissionibus universalibus & quidem juramento divino assertis, quæ per Baptismum, Cœnam Domini & individualement absolutionem in præsentem speciatim applicantur credenti *Matt. XVIII, 18. Hebr. VI, 6.* quemadmodum hoc apparet ex paralytici *Matt. IX, 2.* & peccatricis *Luc, VII, 48.* exemplis.

§. II. *Certitudo autem de fide præsentem* est, qua aliquis certo potest asseverare, se credere. Habetur 1. *ex interno testimonio Sp. Sancti*, per verbum prædicatum fidem in nobis accendentis, & de ea in corde nostro testantis. Unde etiam dicitur *artha & pignus nostra salutis.* 2. *Ex propria conscientie testimonio.* *I. Job. V, 10. Rom. VIII, 38. I. Cor. IV, 13.* Hæc certitudo est certitudo scientiæ spiritualis, quia propriè loquendo non credo me credere, sed scio. *II. Cor. XIII, 5.* Huc pertinet illud Augustini *I. XIII. de Trinit. c. 2. Non sic videtur fides in corde, in quo est, ab eo, cujus est, sed eam tenet certissima scientia, clamaturq; conscientia. &c. Fides non pertinet ad auditum, vel visum, vel tactum. Cordis enim res ipsa est, non corporis, nec foris est à nobis, sed in animis nostris, nec eam quisquam hominum videt in alio, sed unusquisque in seipso. Suam igitur unusquisque fidem in seipso videt: in altero autem credit esse fidem, non videt.* 3. *Ex fructibus fidei* *I. Job. III, 14.* Nec est, quod objiciat Bellarminus, opera tantum esse probabile signum. Nam hoc verum est de operibus aliorum, ex quibus ego non nisi probabile argumentum sumere possum de ipsorum fide. De nostris autem operibus falsum, cum ea sint *non nisi & necessarium signum* fidei in nobis præsentis.

§. II. *Certitudo autem de gratia, salute & fide futura* consideratur,

deratur, vel quoad potentiam, vel quoad voluntatem, vel quoad actualiorem exhibitionem gratiæ, salutis & potentia credendi.

§. 13. De potentia & voluntate DEI, quod possit & velit certissimè nobis gratiam, salutem & fidem largiri, certitudo est categorica, quia DEUS nunquam vult deesse nobis, aut auxilium suum denegare, & mediâ ad fidem tum excitandam, tum conservandam, tum augendam necessaria subtrahere. Fidelis enim est, qui promisit. *Ebr. X, 9.*

§. 14. Actualis autem exhibitio gratiæ & salutis futuræ certa est certitudine hypothetica, pendens à conditione futuræ obedientiæ. Nam licet DEUS gratiam suam velit offerre, & salutem conferre etiam in futurum, potest tamen is, qui jam verè credit, sua culpa, & perpetratione atrocium delictorum, contra conscientiam dedita opera commissorum, eoque à DEO recedere, ut fidem totaliter amittat, & nisi convertatur denuò, etiam finaliter gratia & ipsa salute æterna excidat.

§. 15. Falsa ergò est illorum Calvinianorum doctrina, qui statuunt, absolutam dari certitudinem de futura gratia & salute, deq; non possibili fidei, & per consequens, salutis amissione, quæ sententia timorem DEI elidit, & ad subdendos carni pulvillos accommodata est.

§. 16. Multis modis repugnat hæc sententia Scripturæ, sicut arguunt 1. gravissimæ exhortationes, ut stemus & vigilemus *I. Cor. XVI, 13. Ebr. X, 35. II. Pet. III, 17.* 2. Mandata seria, ut nobis caveamus, & in timore ac tremore operemur nostram salutem *Rom. XI, 12. Ebr. VI, 4. I. Pet. I, 17. II. Petr. II, 20.* 3. Promissiones amplissimæ *Apoc. II, 10. & c. III, 11.* 4. Comminationes acerrimæ *II. Tim. II, 11. Apoc. III, 16.* 5. Obsecrationes *Psal. LXXXI, 14. &c.*

Quæstio XXI.

An Spiritus S. à solo Patre, an verò
etiam à Filio procedat?

§. I. Dissentit hac in re *Græca* Ecclesia à *Latina*. Illa docet Spiritum S. procedere à solo Patre, non à filio. Quam sententiam primus Græcorum seculo circiter V. Theodoretus Cyri Episcopus æmulatione Cyrilli Alexandrini. *contr. IX Cyrilli Anath.* tutatus est. Dixerat Cyrillus *Anath. IX. ἰδιον χειρὶ τὸ πνεῦμα φησὶ, δι' ἧς καὶ ἐνεργήσῃ πατρὸς θεοσημίας.* Theodoretus contra, ἰδιον τὸ πνεῦμα ἔχει, ἐκ μὲν ὡς ὁμοφύεσ, καὶ ἐκ πατρὸς ἐκπορεύομενον ἔφη, ὡς ἐκ πατρὸς ἐκπορεύομενον, καὶ ὡς ἐκ πατρὸς ἐκπορεύομενον καὶ ὡς ἐκ πατρὸς ἐκπορεύομενον καὶ ὡς ἐκ πατρὸς ἐκπορεύομενον. Eandem ex Patribus Græcis sententiam seculo VII. amplecti cœpit Damascenus, cujus verba exstant *lib. I. Orth. Fid. c. II.* τὸ ἵδιον πνεῦμα τὸ ἄγιον, καὶ ἐκ τῆς Πατρὸς λέγομενον, καὶ πνεῦμα Πατρὸς ὀνομάζομενον. ἐκ τῆς ἡμετέρας τῆς πνεῦμα ἐλέγομενον, πνεῦμα ἡμετέρας ὀνομάζομενον. Donec seculo XI. tempore Leonis IX. apertum schisma ortum est inter utramque Ecclesiam, ut sentit Baronius *ann. 1054.* Petavius *l. VII. Theol. dogm. c. I n. 2.* Damasceno succinuit Theophylactus, qui in *cap. III. Job.* scribit; *Latini malè opposites, quid sit, DEUM mittere Spiritum filii sui, vel etiam, nos habere Spiritum Christi, dicunt, quod etiam Spiritus à filio procedat: cæterum, esse ex filio Spiritum, nulla Scriptura testatur, ut ne duo principia introducamus, Patrem & Filium.* Idem dogma publicè propugnabit edito peculiari libello Photius Patriarcha Constantinopolitanus, referente Hugone Ethe-riano *de process. Sp. S. l. II. c. 15.* Nec defuerunt suo calculo Euthymius in *cap. XVI. Job.* Nicephorus Callistus in *Synops. de Trinit.* Donec in Synodo Florentina Græci à Latinis per-

ivasi,

svasi, quod quambis Latina Ecclesia diceret Spiritum procedere à Patre Filioq; non statueret idè duo principia, vel ex duobus principiis, causis & spirationibus Spiritum S. procedere, sed ex uno, ex Patre, per Filium, acquirere, factèq; unionis litera, quibus testati, ut hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur & suscipiatur, sicq; omnes profiteantur, quia Spiritus S. ex Patre & Filio aternaliter est, & essentiam suam, suumq; esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, & ex utroque aternaliter tanquam ab uno principio & unica spiratione procedit, declarantes, quod id sancti Doctores & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, teste Sylvestro Sgyropulo in *Hist. conc. Flor.* At domum reversi, cum unione hac gratiam nullam sese inisse sentirent, non amplius iis, quæ in Italia pacta, conventaq; fuerant, stare voluerunt, sed priorem sententiam mordicus defendere caperunt, referente Laonico Chalcondyla *lib. VI. de reb. Turc.* In qua ad hoc nostrum usque seculum occalluerunt. Ita enim Jeremias Patriarcha in *resp. II. p. 201.* *Processio est naturalis essentia Sancti Spiritus, immediatè ex solo authore Patre, Missio verò legatio temporaria, qua & Filius mittit Spiritum &c.*

§. 2. Contra Latini tenuerunt, Spiritum S. etiam procedere à Filio. Tertullianus *cap. IV. adv. Praxeam; Spiritum non aliunde puto, quam à Patre per Filium.* Ambrosius *l. I. de Sp. S. c. 10.* *Spiritus S. cum procedit à Patre & Filio, non separatur à Patre, non separatur à Filio.* Augustinus *Tract. XCIX. in Job.* *Cur non credamus, quod etiam de Filio procedat Spiritus S. cum filii quoque sit Spiritus? Si enim ab eo non procederet, non post resurrectionem se repræsentans Discipulis suis insufflans diceret: Accipite Spir. S. Quid enim aliud significavit illa insufflatio, nisi quod procedat Spir. S. & de ipso?* Conf. Prosper *l. I. de vit. contempl. c. 18.* Fulgentius *de Fide ad Petr. Diac. c. II.* Rupertus *l. I. de Process. Sp. S. c. 17.* Boëtius *l. I. de Trinit. c. 12.* Thomas *opuscul. I. cont. Græc. error. cap. Quod Spiritus.*

§. 3. Nobis certè Latinorum sententia magis probatur, quæ & *Scripturæ divinæ*, & *venerandæ Antiquitatis* auctoritate suffulcitur.

§. 4. Scriptura sacra testatur I. Spiritum S. esse Spiritum Filii. *Rom. VIII, 9. Gal. IV, 6. Phil. I, 19. I. Pet. I, 11.* Jam verò in divinis una persona non dicitur alterius nisi respectu originationis, nec ulla alia habitudo excogitari potest. *Nullatenus dubitandum est*, inquit Augustinus, *de Fide ad Petrum c. XI. eundem Spiritum S. à Patre & Filio procedere, quia non geminus, sed unus est Patris & Filii Spiritus.*

§. 5. Testatur II. Spiritum S. accipere aliquid à Filio. *Job. XVI, 14.* Jam verò una persona non accipit ab alia, nisi procedendo. *Dices; Processio jam facta est, at acceptio demum fieri debet. Nam loquitur in futuro; accipiet. Resp.* Et æterna processio comprehendit omnia tempora, & verbum futuri temporis potest designare futurum effectum.

§. 6. Testatur III. Filium habere ea omnia, quæ habet Pater *Job. XVI, 15. XVII, 10.* Habebit ergò quoque potentiam spirandi s. producendi Spiritum S. *Si quicquid habet, de Patre habet Filius, de Patre habet utique, ut ab illo procedat Spiritus S.* inquit Augustinus *l. XV. de Trin. c. 26.* *Dices; At Filius non habet paternitatem, quam tamen habet Pater. Resp.* Habet ea omnia, in quibus à Patre non distinguitur, s. quæ filiationi non obviant. *πάντα ὅσα ἔχει ὁ Πατήρ, ἔχει καὶ ὁ υἱὸς ἰσότητι καὶ ἰσοουσίας. ἢ πᾶσι ἐξ ἰσότητος Διαφορᾶν, ἢ ἡ ἀξίωμα, ἀλλὰ ἡ ὁμοτιμία ὑπὸ ἰσότητος,* inquit Damascenus *l. I. de O. F. c. 9.*

§. 7. Testatur IV. Spiritum S. mitti à Filio *Job. XV, 26. XVI, 7.* In divinis verò nulla persona mittitur nisi quæ procedit, nec nisi ab ea, à qua procedit. Hinc Pater nullo modo mittitur, Filius à solo Patre, Spiritus S. à Patre & Filio. *Quid est, quem ego mittam vobis à Patre, nisi quem ego & Pater mittam*

tam

tam vobis? ab utroque enim mittitur, qui ab utroque procedit, inquit Evcherius Lugdunensis *Dominic post Adscens.* Et Beda in *Homil. super Dom. Exaudi; Mittitur Spiritus S. à Patre, mittitur & à Filio: quia & ejus missio ipsa processio est, quia ex Patre procedit & Filio.* Dices α Processio est æterna, missio temporalis, β etiam Filius mittitur à Spiritu S. *Esa. LXI, 1.* Resp. ad α Respectu mittentis & missi missio est æterna, sed respectu eorum, ad quos destinata erat missio, est temporalis, & hac ratione Spiritus S. dicitur mittendus. Ad β mittitur, non quâ DEUS, sed quâ homo.

§. 8. Accedit consensus Græcorum Patrum, qui ante exortum schisma pronunciarunt, Spiritum S. esse ab utroque. Athanasius in *Symbolo* dicit, Spiritum S. esse de Patre. Didymus Alexandrinus *l. II. de Sp. S.* expressè dicit, quod Spiritus S. sit ex Patre & Filio. Basilii *Epist. XLIII. ad Gregor. Nyssen.* inquit, Spiritum à Filio dependere, quæ dependentia supponit sine dubio originationem. Epiphanius *heres. LXII.* scribit, Spiritum S. esse ἐκ Πατρὸς καὶ υἱοῦ, καὶ ἀπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος. Chrysostomus *Homil. I. de expos. Symb. Tom. V.* claris verbis asserit, Spiritum S. procedere à Patre & Filio. Cyrillus *l. X. in Job. c. 41.* Non est, inquit, alienus à substantia Filii Spiritus, sed ex ea naturaliter procedit. Addunt alii Ignatium in *Epist. ad Ephesios.* Marti-
lem in *Epist. ad Burdegalenses c. X.* Cyrillum Hierosolymitanum *Catech. XVII.* Invenio etiam, inquit D. Dorscheus *part. II. Theol. Zach. Diss. V. §. 52. in Græcorum catena egregii auctoris Græci Theodori Heracleotæ Græca atque antiqua manuscripta expressam hac de re sententiam, quam libuit h. l. describere. Τὸ πνεῦμα ἁγίον ἐκ τῆς ἁγίας αἰρέσεως καὶ ἐκ τῆς ἁγίας αἰρέσεως ἐξαιρέτων.* Et quid multis? Omnium illorum incommutabilis veraq; sententia tenebat, Spiritum S. à Patre & Filio procedere, verba sunt Concilii Lugdunensis.

§. 9. Quæ à Græcis opponerentur Latinis, hæc ferè erant 1. Scripturam, quando de processione Spiritus S. agit, folius Patris meminisse *Job. XV, 26.* 2. Absurdum esse, unum Spiritum habere duo principia productiva. 3. Patrem esse sufficiens principium Spiritus S. adeoq; non requiri Filii auxilium. Sed facilis est ad hæc responsio. Ad 1. *resp. α.* non additur dictio exclusiva, multo minus negativa. *β.* Imò verò in illis, quæ non repugnant filiationi, quicquid tribuitur Patri, intelligitur etiam tributum filio. *γ.* Solius Patris fit mentio, quia solus Pater est principium, in & à quo est virtus spirandi. *Spiritus est utriusque, quoniam de utroque procedit: sed ideò, cum de eo Filius loqueretur, ait, de Patre procedit: quoniam Pater processionis ejus est author, qui talem genuit Filium, & gignendo ei dedit, ut etiam de ipso procederet Spiritus S. Nam nisi procederet & de ipso, non diceret Discipulis; Accipite Spiritum S. eumq; insufflando daret, ut à se quoque procedere significans, aperire ostenderet stando, quod spirando dabat occultè, inquit Augustinus adv. Maximum Arianum l. III c 14.* Ad 2. Pater & Filius in productione Spiritus S. sunt principium unum, quia una spiratione spirant, & habent unam potentiam spirativam, licet diverso modo, Pater à *ἑαυτοῦ*, Filius *ὑποῦ*. Dices: Si Pater & Filius sunt unum principium. E. Filius erit principium sui ipsius. *Resp.* Filius in ratione filii non est idem principium cum Patre, sed in ratione spiratoris. Ad 3. Pater est principium sufficiens creationis mundi, nec tamen solus creat.

§. 10. Nec obstat nostræ sententiæ locutio vel Patrum, qua Spiritus S. dicitur procedere à Patre per Filium; vel Augustini *l. XV. de Trin. c. 17.* dicentis, Spiritum S. principaliter esse à Patre; vel Hieronymi *Epist. XXCIIX.* asserentis, Spir. S. propriè à Patre procedere, ac si Pater & Filius non spirarent

rarent æque propriè & principaliter. Nam quod ad *Patres* attinet, utuntur illi eo loquendi modo, ut declarent, totam vim spirandi reduci ad Patrem, ceu primum principium, ac Filium prius origine procedere à Patre, quam Spiritum S. *Augustino* ly *principaliter* per *Catachresin* idem est, quod *primordialiter*. Pater spirat *principaliter*, quia spirandi principium habet à se, Filius verò communicatum à Patre. Idem vult *Hieronymus*, cui Pater dicitur spirare *propriè*, h. e. tanquam *proprietaryus*, qui in habendo vim spirandi non est ab alio. Filius verò non sic *propriè*, hoc est, à se spirat. Locutiones hæ Patrum excusandæ potius sunt & declarandæ, quam imitandæ, ut alibi diximus.

Quæstio XXII.


Annon Photiniani hypothésibus suis DEUM faciant peccati authorem?


§. 1. Id omninò videtur. Docent enim, quod homines, de quibus prædictum est, quod sint peccaturi, vi decreti divini necessariò peccent. Author notarum in nodum Gordium Smiglecii c. XVII. *Quæ à DEO prædicuntur, illa necessariò esse oportet. Exempla Judæ & Petri huc faciunt. Jam enim necessariò & immutabiliter decretum erat, ut unus ex Christi discipulis eum proderet. Ad hoc autem eum Christus elegit, qui antea dignus erat morte, quam Apostolus eligeretur, nempe avarum & furem. Petrus etiam pertinacia sua, qua Christi verbis divino etiam oraculo confirmatis sese opponebat, meritis id fuerat, ut tali pœna afficeretur, ideoq; necessariò id, ut decretum fuerat, sic etiam fieri oportebat. Smaltzius contr. Franz. diss. XII. Tantum (in abnegatione Petri) necesse erat ad hoc facinus exsequendum, voluntatem Petri ad breve temporis spatium libertate sua privatam & quodammodo coactam esse.*

§. 2. At,

§. 2. At, annon hoc est, DEUM peccati authorem facere? Nam 1. *Qui ita imponit peccandi necessitatem, ut voluntatem cogat & libertate privet, is est peccati causa.* Necessitas enim consequentis spectatur inter causam & effectum. 2. *Qui peccatum quò peccatum vult & decernit, est verè peccati causa, si non physica, tamen moralis, quamvis vel maximè habeat bonam intentionem, illud pœnæ loco infligendi.* Dices 1. DEUS non vult peccatum ut peccatum, sed ut pœnam antegressi peccati. *Resp.* Peccatum ut peccatum non habet rationem pœnæ, sed ut permittitur à DEO, atque sic permissio peccati posterioris est pœna peccati prioris. Neque enim voluntati divinæ obicitur peccatum, (quippe quod DEUS semper averfatur & odit,) sed permissio peccati. Volenter quidem DEUS permittit peccatum, sed nullo modo, ne quidem permissivè, vult peccatum. Dices 2. DEUS voluit crucifixionem Christi, ut redimeretur genus humanum, Ergò etiam peccatum Judæorum, saltem ut occasionem boni divina voluntate inde orituri. *Resp.* 1. Malum per se non præbet occasionem boni, sed DEUS illam occasionem per summam suam sapientiam sumit, & contra naturam mali ad bonum finem accommodat non malum ipsum, sed permissionem mali. 2. Voluit DEUS passionem Christi, sed non vitium illi adhærens, s. passionis illum modum & illas circumstantias. Potest aliquis rem velle, modum autem rei nolle. 3. Judæis autem permittit DEUS crucifixionem filii sui, prævidens ipsorum malitiam, & consequenter decernens, se ipsorum potentiam & voluntatem non impediturum efficaciter.







neget superbiam esse ens positivum, (ve-
cum efficax sit in homine & agat, privati-
bus? at quis DEUM asserat superbiam au-
litas, si est contra naturam, diu durat. At pecca-
hominis est, & tanto tempore non est imminu-
doctrina physica valet axioma, male tra-
morum & salutis. Imò ne in physicis qui-
est. Esse Strabonē aut varum est contra na-
nec ab arte, nec à natura potest emenda-
est contra naturam animæ, ut illa est fo-
peccando Adam desisset esse homo) v-
ram officii, aut virtutum, quæ ex mand-
debuerant. 5. Si peccatum originale est qua-
tismo. Resp. intellige, radicaliter, & sic
quidem peccati deletur in baptismo per
gratia imputatum, ipsa vero labes reman-
tiam. Conferatur Augustinus l. I de Nup-
in Julian. c. 3. & l. 4. Hypognoztikon.

Questio XVIII.

Quid per formam DEI intel- stolus Phil. II, 6.?

§. I. Patres fere omnes intelligi v-
talem, s. ipsam DEI essentiam & natura
apolog. Eunomii inquit; Ego informa DEI
atq; in essentia DEI esse. Sicut enim formam
tia humane nature Dominum nostrum natum
dicit Paulus, informa DEI esse, divina essentia
declarat. Hilarius Pictaviensis l. X de Tr-
nam servi nihil aliud est, quam hominem natum

F 2

43
uid entis)
n agenti-
Nulla qua-
a naturam
Quod in
doctrinā
per verū
d tamen
peccatum
is, (alias
ra natu-
i inesse
latur bap-
Reatus
Christi ex
nharen-
c. 25. l. V

am essen-
l. I cont.
re sentio,
in essen-
, sic cum
penitus
siffe for-
forma
DEI

